

animæ. In quo consistat vita viri perfecti Christum in mente pacificâ quiescere. Humilitatem flore denotari, eleuari, & beari. *apag. 111. ad pag. 114.*

S. A VGVS TINVS sermonem habet in euangelium in quo Virginis Maria humilitatem ostendit, cuius exemplo ad hanc virtutem fœminas monet; deinde imitatione Christi pueros ad obsequium parentum excitat. *Tom. 10. pag. 316. col. 4*

S. V. B E D Æ homilia in lectionem euangelicam, tractat de Christi Domini humilitate, in ingressu in templum, in interrogatione doctorum, in submissione suis parentibus; Postea docet prædicatores & doctores auditorum suorâ capacitati se accommodare debere vt facilius, quæ dicuntur, concipiant, sicut Christus erga parentes se exhibuit, ipsi enim non intelligentes verbum, quod loquebatur ad illos, descendit cum eis, & erat subditus illis. Insuper notat qua diligentia, & attentione B. V. Maria omnia, quæ de Christo vel à Christo, dicta siue facta agnouerat, in intimo cordis retinebat, ac memoriæ mandabat; quod & nos imitari facile possumus. Denique quo pacto Iesus professisse dicatur sapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines, dilucidè explicat. *Tom. 7. in hom. hyemal. de Temp. col. 201. & sequentibus.*

S. BERNARDI, vel vt alij dicunt, *Adilredi Abbatis* cuiusdam cœnobij Cisterciensis, homilia deuotissima in Euangelium, quæ duo præcipuè continet. I. Euangelicam historiam piè exponit ac deuotè commentatur. II. spiritualem intelligentiam iuxta mysticum sensum aperit. In I. quare Christus in Bethleem nascitur, in Ægyptum transportatur, & absconditur, in Nazareth nutritur, & anno sue ætatis duodecimo ad templum Hierosolymitanum ducitur, rationem redditis; hincque Christum Ducem, Medicum & Doctorem esse demonstrat, & textum Euangelij percurrit. In II. hæc omnia mysticè explicat pro perfectione vitæ spiritualis, & duodecim annos hominis deuoti enumerat quos consummare habet, vt cum Do-

Amino in templum Hierusalem ascendere possit, hoc est, ad celestium secretorum cognitionem; isti autem duodecim anni sunt totidem virtutes. 1. penitentia & circumciso vitiorû. 2. obedientia. 3. sui ipsius cognitio. 4. fortitudo in tentationum passione. 5. discretio. 6. meditatio. 7. sapientia, (istas septem virtutes septem donis spiritus sancti accommodat) 8. temperantia. 9. prudentia. 10. iustitia. 11. perseuerantia. 12. contemplatio, in qua multum conquiescit, amplè illam, & quæ illa durante inter Deum & animam agantur, subtilissimè describendo; in hac autem contemplatione anima tribus diebus remanet, sicut Christus in templo, primo die Dei potentiam speculatur; secundo die, eius sapientiam mente pertractat; die autem tercio ipsius bonitatem & dilectionem contempletur; Cæterum eodem modo reliquum Euangelij profequitur. *à col. 82 ad col. 91.*

S. BONAVENTURÆ sermo primus in Euangelium. I. tria in Christo esse demonstrat quæ ad ipsius amorem alligant, pulchritudinem in mente & corpore, dulcedinem pietatis in ore & loquutione, mansuetudinem patientiæ in opere & actione. II. de triplici dolore quem B. V. Maria habuit de suo dilecto filio, agit. III. modum querendi Christum & inueniendi exemplo B. Virginis, docet, qui credendo, diligendo, & expectando exequitur, vel si maui s fide, charitate, & spe. *Tom. 3. pag. 34. & sequent.*

Eiusdem, sermo secundus, tractat de triplici differentia Christum querentium, videlicet, incipientium, proficientium, & perfectorum; vnusquisque ipsorum triduo querit Christum, incipientium triduum, dicitur contritionis, confessionis, & satisfactionis. *Ibid. fol. 36.*

Eiusdem sermo tertius, materiam præcedentis profequitur, & de triduo proficientium siue Religiosorum tractat, hoc triduum completur in paupertate, quæ debet esse volutaria, perseuerans, & humilis; in castitate, quæ triplex dicitur corporalis, mentalis, sensualis;